De Juba Appiani Cassiique Dionis auctore

Ludwig Keller

DE JUBA

APPIANI CASSIIQUE DIONIS AUCTORE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE ET CONSENSU

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPPESSENDOS

DIE XVIII. MENSIS NOVEMBRIS MDCCCLXXII

PUBLICE DEFENDET

LUDOVICUS KELLER

MARBURGENSIS.

MARBURGI CATTORUM.

TYPIS N. G. ELWERTI ACADEMICIS.

MDCCCLXXII

HENRICO NISSEN

PHIL. DR. HISTORIAE P. P. O.

CAROLO DE NOORDEN

PHIL. DR. HISTORIAE P. P. O.

PRAECEPTORIBUS

D. D. D.

AUCTOR.

I.

Appiani Lib. 1—66 Jubam fuisse auctorem hac dissertatione evincere conaturi sumus. Sententiae propositae non ego primus auctor sum, nam conjectura quidem jam C. Peter, Die Quellen des Livius im 21. und 22. Buch Progr. Port. 1863 p. 77, eam assecutus est; certis autem quibusdam argumentis eandem probavit Nissen, in commentatione, quam nuper publici juris fecit De pace a. 201 a. Chr. Carthaginiensibus data, Marburgi 1870, p. 18.

Quum autem hi viri praetereundo quasi quaestionem nostram attigerint, operae pretium censui, accuratiorem de ea disputationem instituere atque ea, quae ad probandam sententiam apta videantur, proferre et proponere.

Qua re absoluta et Appiani fonte satis explorato facile quaestio solvitur, quis Cassii Dionis (fr. 57, 63—86 ed. Dindorf.; Zonar. IX, 11—14) auctor fuerit; itaque nobis munus se ultro offerebat in hujus quoque rerum scriptoris fontes inquirendi; qua re factum est, ut quaestiunculam de iis huic dissertationi subjunxerimus.

1.

Quum in Appiani libri octavi parte priore (cc. 1—66) nec auctoris nomen exhibeatur, quod fontis explorandi ansam adhibere possimus, nec ullus rerum scriptor, cum quo noster comparari possit exstet, nova via et a vulgari, quam in fontibus exquirendis sequi solent, diversa ineunda erit. Nobis enim, quum externis, quae vocantur, argumentis destituti simus, ipsa Appiani ratio, qua in condendis historiis uti solet, viam commonstrare et natura atque indoles narrationis, quam Appianus l. c. exhibet, digitum, ut dicunt, ad fontes intendere debet.

De consilio, quod in scribenda historia Romana Appianus sibi proposuerat, ipse luculentissimus testis est, quum in praef. cap. 12 haecce dicat: *Καὶ τόδε* (historiam Romanam) *πολλοὶ μὲν Ἑλλήνων πολλοὶ δὲ Ῥωμαίων συνέγραψαν. — Ἀλλ' ἐντυγχάνοντά με καὶ τὴν ἀρετὴν αὐτῶν ἐντελῆ καθ' ἕκαστον ἔθνος ἰδεῖν ἐθέλοντα ἀπέφερεν ἡ γραφὴ πολλάκις ἀπὸ Καρχηδόνος ἐπὶ Ἴβηρας καὶ ἐξ Ἰβήρων ἐς Σικελίαν ἢ Μακεδονίαν — ὥσπερ ἀλώμενον — ἕως οὗ τὰ μέρη συνήγαγον ἐμαυτῷ. — Καὶ τόδε μοι κατ' ἔθνος ἕκαστον ἐπράχθη βουλομένῳ τὰ ἐς ἑκάστους ἔργα Ῥωμαίων καταμαθεῖν.*

Ex his verbis satis patet, nostrum non fontibus diversis exquirendis et comparandis neque novis rebus eruendis aut falsis refutandis operam dedisse; immo vides, eum id maxime egisse, ut res vulgatas et a caeteris traditas nova narrationis forma et in suum et in aliorum usum redderet atque propagaret. Itaque facile intellegitur, Appianum non multorum scriptorum excerpta contaminasse; sed ex hac ipsa operis institutione concludi potest — id quod etiam aliunde constat — nostrum certo temporis spatio vel epocha, quam dicunt, unum scriptorem sibi narrationis quasi fundamentum elegisse.

Quomodo autem hunc ipsum auctorem tractare solet? Utrum verba ejus diligenter servare et ita quasi aliorum scrinia

compilare, an libere suoque Marte, ut dicunt, res conscribere studet?

Non defuerunt, prioribus praesertim saeculis, qui Appianum merum plagiarium censuerint eumque eo fere loco, quo Zonaram posuerint. Inter viros doctos hanc sententiam profitentes Scaliger et Ernesti caeteros auctoritate praecedunt. Eorum quam falsa sit opinio demonstravit Schweighaeuser, vir de Appiano optime meritus. (cf. Opusc. acad. II. p. 1 sqq.). Suo jure contendit vir doctus, Appianum neque »fucum alienorum laborum« (Scaliger) neque »plagiarium« (Ernesti) esse; immo merito laudat »admirabilem Appiani artem, quam in ordinanda digerendaque amplissima universae historiae Romanae materia demonstravit, luculentissimamque rationem, qua modicis quibusdam voluminibus infinitum paene argumentum inclusit« (cf. l. c. p. 34). Re vera pro certo affirmari potest, Appianum quam liberrime fontes suos tractasse. Unus enim ex iis auctoribus, quos Appianus sibi fundamentum elegit, magna ex parte ad nos pervenit — Polybius, ita ut collata utriusque narratione de Appiani fontes usurpandi ratione certum judicium ferri possit. Atque feliciter accidit, quod nuper de hac nostri ratione accuratam inquisitionem instituit Nissen (Quaest. criticae de T. Livii fontibus in dec. IV et V. Berol. 1863 p. 115 sqq.), quem sequens hic pauca proferre liceat.

Ac primum quidem institutio operis ferebat, ut libros in usum vocatos cogeret eorumque textum, qui vocatur, in brevius contraheret. Has autem epitomas plerumque satis inscite et negligenter confecit atque eo magis, quo breviorem fontis narrationem reddat. In hac re multa capita fontis non modo paucis saepe verbis reddit, sed etiam particulas haud parvas plane ejicit, nulla cura adhibita, num rerum gestarum ordinem conturbet, necne.

Neque rerum parvularum recte tradendarum curam habet; immo nominum et numerorum referendorum negligentia excellit, si verbo uti licet. Quam in rebus levibus tradendis socordiam

apud caeteros quoque posteriores rerum scriptores deprehendimus; quapropter ea quidem non offendor. Magis autem mira Appiani negligentia in temporibus computandis est, cujus explicationem non possemus invenire, nisi ipse in praef. cap. 13 haecce proferret: *τοὺς δὲ χρόνους ἐπὶ μὲν πᾶσι περισσὸν ἡγούμην καταλέγειν ἐπὶ δὲ τῶν ἐπιφανεστάτων ἐκ διαστημάτων ὑπομνήσω.* Nonne haec quasi se purgaturus protulisse videtur? Jam vero Appianus arte rhetorica non minus quam caeteri ejusdem temporis rerum scriptores historias exornare et illustrare conatur. Itaque orationibus fingendis et diligenter expoliendis operam dat; atque quod gravius vitium est etiam rerum narrationem ad movendos lectorum animos saepius commutat. Magnum autem nostri studium est ingenium suum ostendendi. Hac re fit, ut saepius suas cogitationes rerum gestarum ordini interponat et, quod saepissime occurrit, ut novas et inauditas rerum causas fingat. Itaque ubicunque talia inveniuntur, quaerendum est, unde hae rerum causae ortae videantur.

Quum talis rerum scriptor Appianus fuerit, primo quidem obtutu facile aliquis fidem historicam ejus aut parvam censeat aut prorsus ei abjudicet; id, quod re vera hucusque plerique fecerunt. Num recte fecerint, jam quaerendum videtur. Exstat de Appiano historico judicium Photii, viri profecto mirae doctrinae neque parvae auctoritatis: *ἔστι δὲ* (Appianus) *τὴν φράσιν ἀπέριττος καὶ ἰσχνός· τὴν δ' ἱστορίαν ὡς οἷόντ' ἐστι φιλαλήθης* (Bibl. p. 24 ed. Hoesch.). Quaestionem de genere dicendi hic missam facimus*), verum in veritatis amorem, quem de nostro Photius praedicat, inquirendum erit. Haud scio, an verbis *ὡς οἷόντ' ἐστι* Photius nostri negligentiam et socordiam in rebus levibus tradendis significare voluerit, an indicaverit,

---

*) Appiani elocutio toto ambitu historiae Romanae prorsus propria et sibi constans est. Qua re probatur, Appianum non ad verbum auctores suos sequi. Zonaras enim, qui ad verbum auctores exscribit in Annalium praefatione ipse profitetur stilum suum esse varium nec per omnia sui similem.

prorsus vera a nemine posse erui — hoc aperte dicit, nostrum veritatem amare. Atque huic Photii judicio, quod et ipse Schweighaeuser suum fecit, equidem non modo non obloquar, sed plane assentiar.

Si enim auctores, quibus Appiani narratio nititur, perlustramus, cognoscimus, illum probatissimos quosque et vetustissimos auctores et, quoad fieri potuit, coaevos in quaque historiae suae parte in usum vocare. Exempli gratia rebus intra annos 201 – 146 gestis scribendis Polybium sibi unicum fontem elegit (cf. Nissen l. c. p. 114) et ex eo rerum Syriacarum partem priorem (capp. 1—44), Punicarum partem posteriorem (capp. 66—136) res Macedonicas, rerum Illyricarum et belli Mithridatici partem quandam desumpsit. In bellorum civilium priore parte Posidonius, in posteriore, ni fallor, Asinius Pollio adhibitus est — fontes optimi, qui de illis rebus exstabant.

Restat, ut pauca de rerum publicarum et militarium scientia nostri disseramus. Constat enim, optimos quosque auctores a scriptore rerum illarum imperito, si libere eorum narratio reddatur in deterius plerumque mutari. Num id a nostro quoque factum est? In hac re iterum Photii judicium non negligendum videtur, qui Bibl. l. c. haecce profert.: (App.) *στρατηγικῶν διὰ τῆς ἱστορίας μεθόδων εἴ τις ἄλλος ὑποφήτης.* Iure meritoque huic quoque judicio Schweighaeuser assentitur, idemque meum facio. Nam multis exemplis (cf. pugnae Cannensis descriptionem Hannib. c. 17. sqq.) haec rerum militarium peritia probari potest; quae peritia nobis eo majoris momenti est, quum Livius, quem solum multis locis simul cum nostro testem habemus, hujus rei imperitus fuerit (cf. Nissen Quaest. p. 33.). Nec minus Appianum earum rerum, quae ad gerendam et administrandam rem publicam pertinent peritissimum puto. Nam praeterquam quod ipse magistratibus publicis functus est — satis enim notum est, eum procuratorem Aegypti libros suos condidisse — etiam librum peculiarem de statu rei publicae historiis subjunxit, de quo in praef. c. 15 haecce legimus: *ἡ δὲ τελευταία καὶ τὴν*

στρατιὰν αὐτῶν (Romanorum) ὅσην ἔχουσιν ἢ πρόςοδον, ἣν καρποῦνται καθ' ἕκαστον ἔθνος — ἐπιδείξει. — Caeterum hujus peritiae in libris ejus exempla haud pauca exstant, cf. Bell. Civ. 1, 7 sqq., ubi de agro publico summa rei scientia disseritur.

2.

Libri octavi capita 7—66*) Appianus rebus in Africa intra annos 205—201 a. Chr. a Romanis Poenisque gestis dedicavit.

Exstant autem de his rebus praeter Appiani librum fontes neque pauci neque leves. Ac primum quidem Polybii fragmenta servata sunt: XIV, 1—10; XV, 1—18. Ad cujus narrationis lacunas explendas aptus est Livius XXIX—XXX, qui longe plurima, hoc est omnia, quae de Scipionis rebus gestis praebet ex eodem quo Polybius fonte hausit cf. Friedersdorff, Livius et Polybius Scipionis rerum scriptores Diss. Gott. 1869. Deinde autem Annalium quorundam fragmenta exstant apud Livium hisce locis: XXIX, 28—29; XXX, 11—15; ib. 16—17; ib. 19—24.**).

Si cum his fontibus***) historiam capitum 7—66 conferimus, hoc maxime mirum et memorabile videtur, quod apud

*) De capp. 1—7 infra disputabimus; praefatione enim absoluta (cap. 1—2) de Reguli expeditione a. 256—255 a. Chr. in Africam facta refert. (capp. 3—6). Haec ad fontem explorandum nil conferre facile intellegitur.

**) De horum locorum auctore alia occasione data accuratius disseremus sententiamque propositam defendemus. De capp. XXX, 19—24 cf. Friedersdorff p 43.

***) Quae Cassii Dionis (fr. 57, 63—86 ed. Dindorf; Zon. IX, 11—14) ratio sit, infra demonstrabimus.

nostrum res Numidicae et Punicae non modo multo accuratius, quam apud illos, sed diligentius, quam ipsae res Romanae redduntur.

Quod jam accurata narrationum comparatione evincere liceat. Apud Appianum eundem fere locum Massinissa ejusque res gestae obtinent*), quem apud Polybium et Livium Scipio ejusque consilia et facta. Hoc si tibi vis persuadere respicias, quaeso, Liv. XXIX, 25—28, ubi transitus Scipionis in Africam multis verbis describitur; quid Appianus de ea re habet? tot fere verbis quot apud Livium paragraphis eadem res absolvitur. Ne mihi respondeas, Livium omnino fusius Appiano res explicare; nam quomodo fit, ut Livius de Massinissae adventu apud Scipionem ejusque consiliis et rebus gestis, de quibus accuratam narrationem apud App. 13—14 habemus, paucissimis tantum verbis nos certiores faciat?

Nec minor scriptorum differentia in rebus Punicis enarrandis est: de Hasdrubalis, Poenorum ducis, fortuna et casibus luculentissima apud nostrum testimonia exstant: in cap. 9; 10; 13; 15; 17; 18; 19; 24; 29; 30; 36; quum Livius quattuor tantum locis paucissima de eo proferat: XXIX, 23; ib. 34—35; XXX, 6; ib. 7. — De rebus Carthagine actis neque Livius neque Polybius multa comperta habent, quum apud Appianum accurata

---

*) Haec tabula locos Appiani et Livii Massinissam respicientes praebet:

App. VIII		Livius	App. VIII		Livius
cap. 10—12	=	XXIX, 4, 7—10;	cap. 28	=	XXX, 11—15
		— , 29—33.	— 32	=	— , 16—17
— 13	=	deest	-- 33	=	deest
— 14	=	— , 35	— 37	=	deest
— 15	=	deest	— 41	=	, 43
— 17	=	deest	— 45	=	deest
— 20	=	XXX, 5	— 46	=	deest
— 22	=	deest	— 47	=	deest
— 26	=	— , 9	— 48	=	deest
— 27	=	— , 11—15	— 54	=	, 37

harum rerum scientia occurrat in capp. 9; 24; 30; 31; 34; 35; 36; 38; 55; 68; 70; Livius paucissima hisce locis praebet: XXX, 9, 3 sqq. (= App. 31); ib. 24, 10 sqq. (= App. 34—35). Iam vero rerum ab Hannibale in Africa gestarum narratio multo diligentior apud Appianum quam apud Polybium et Livium exhibetur. Desiderantur enim apud hos quae ille praebet in capp. 33 (excepta una quadam re Polybii XV, 3, 5); 36—37.; 47.

Quodsi cognoscere vis, qua ratione auctor Romanus annorum 205—201 memoriam condiderit, respicias velim diligentissimam rerum Romae actarum narrationem Liv. XXVIII, 40—45; XXIX, 3—5; ib. 22, 11—12; XXX, 17; ib. 28; ib. 36; ib. 38, 6—12; ib. 42, 11—44, quarum rerum longe minorem partem Appianus habet, et ea quae habet longe majore indiligentia, quam reliqua composita sunt; id quod infra demonstrabimus. — Scipio autem primas apud illam quasi partes agit; et item Laelio multa verba tribuuntur, quum Appiani auctor uno tantum loco (cap. 41) ejus mentionem fecerit.

Haec ad illustrandam auctoris Appianei naturam in universum sufficiant. Iam singula peccurramus. Ac primum quidem magna locorum nominumque libycorum notitia nos offendit, qua noster prae caeteris earundem rerum scriptoribus excellit*). Ad hanc peritiam illustrandam hosce collegi locos: c. 18. *Θόλους* (urbs); c. 24. *Ἄνδα* (urbs); c. 32 et 51 *αἱ λεγόμεναι Φοινικίδες τάφροι*; c. 33 *Νάρκη* (urbs); c. 39 *Πάρθος* (urbs); c. 40. *Κίλλα* (urbs); c. 47. *Θών* (urbs); c. 55. *Μαρθαμά* (urbs). — c. 33 *(δυνάστης) τῶν Νομάδων τῶν καλουμένων Ἀρεακιδῶν;* ib. *(δυνάστης) Μεσότυλος;* c. 41 *Δάκαμας (δυνάστης)*; c. 43. *Μασσάθης (δυνάστης)*. —

Deinde locorum quoque intervalla accuratius quam apud caeteros significantur: c. 9: (Hasdrubal milites exercuit)

---

*) **Bujack**, De Sileno Hannibalis scriptore Diss. Regiom. p. 27. C. **Peter** Progr. Port. 1863 p. 77.

διακοσίους σταδίους ἀποσχὼν ἀπὸ Καρχηδόνος; c. 14. *Μασσανάσσης — ἐδίδασκεν* (Scipionem) — *ἔς τι χωρίον ἀπὸ τριάκοντα σταδίων Ἰτύκης, ἔνθα πύργος ἐστὶν Ἀγαθοκλέους ἔργον — ἐνεδρεῦσαι*; c. 47. (Hannibal) *σταδίους ἀνύσας ἐς τρισχιλίους δύο νυξί τε καὶ ἡμέραις ἧκεν ἐς πόλιν ἐπὶ θαλάσσης Ἀδρυμητόν*. — Sunt fortasse, qui hanc nominum Numidicorum et regionis Libycae notitiam parvi censeant; hi velim conferant Polybium et Livium, quorum uterque fusiorem earundem rerum memoriam habet, quaerantque, quot nomina apud illos redeant; quid quod ne unum quidem eorum, quae modo enumeravi, in eorum libris invenitur?

Idem fere, quod in nomina etiam in numeros peditum equitum, elephantorum, militum caesorum captorum, transfugarum cadit. Occurrit enim exercituum Libycorum et maxime Numidicorum notitia satis memorabilis, quam his illustrare exemplis liceat: c. 9. *Ἀσδρούβας — κατέλεγε Καρχηδονίων τε καὶ Λιβύων ἐς ἑξακισχιλίους πεζούς ἑκατέρων καὶ ἱππέας ἑξακοσίους — καὶ παρὰ τῶν Νομάδων ἔλαβε δισχιλίους*. — c. 11. Massinissa equites Numidicos *δισμυρίους* collegit. — c. 14. Afri occisi sunt omnes *πλὴν τετρακοσίων οἳ ἐλήφθησαν αἰχμάλωτοι*. — c. 23. *Ἀπέθανον — τῶν δ' ἐχθρῶν* (Afrorum) *ὀλίγῳ δέοντες δισμύριοι, καὶ αἰχμάλωτοι ἐγένοντο δισχίλιοι καὶ τετρακόσιοι· τῶν δ' ἱππέων ἑξακόσιοι ἐπανιόντι τῷ Σκιπίωνι ἑαυτούς παρέδοσαν*. — c. 24. (Hasdrubal) *ἐγύμναζεν οὓς εἶχεν ἀμφὶ τρισχιλίους ἱππέας, πεζοὺς δὲ ὀκτακισχιλίους*. — c. 26. *Ἀπέθανον δ' ἐν τῇ μάχῃ Σύφακος ἐς μυρίους ἄνδρας — Μασσανάσσου δὲ τριακόσιοι καὶ αἰχμάλωτοι Σύφακος ἐγένοντο τετρακισχίλιοι. Τούτων ἦσαν Μασσύλιοι δισχίλιοι καὶ πεντακόσιοι τῶν ἐς Σύφακα ἀπὸ Μασσανάσσου μεταστάντων*. — c. 48. *καὶ Ἴβηρες αὐτομόλησαν πρὸς Σκιπίωνα τριακόσιοι καὶ Νομάδες πρὸς Μασσανάσσην ὀκτακόσιοι*. —

Haec exempla ad illustrandam Appiani notitiam sufficiant; quamquam longe plura afferre licet; quae notitia per se satis mira est. Qui autem fit, ut numeri militum Libycorum non modo

majore diligentia quam romanorum apud ipsum Appianum reddantur*), sed etiam apud Polybium et Livium, qui longe fusius res in Africa gestas tradunt longe minor scientia numerorum Libycorum occurrat.

Iam ad aliam rem fontis naturam illustrantem pergamus. Quomodo fit, ut in universali, quae dicitur historia imperii populique Romani, quam Appianus conscribere sibi proposuerat (cf. praef. 12) res tam exiles tradantur, quales hae sunt: cap. 23. *Σκιπίων δὲ ὅπλων τε καὶ χρυσοῦ καὶ ἀργύρου καὶ ἐλέφαντος πολλοῦ καὶ ἵππων ἄλλων τε καὶ Νομαδικῶν κακρατηκώς — ἀριστεῖα τῷ σρατῷ διεδίδου κτλ.* Quid ad scriptorem romanum civibus maximam victoriam referentem, num in praeda equi numidici fuerint, necne? Nonne hac re optime probatur, quod Nissen (De pace p. 18) aliunde concludit, Appiani auctorem vulgo scriptorum Romanorum adnumerari non posse? — In cap. 26 haecce leguntur: *Τούτων* (captivorum) *ἦσαν Μασσύλιοι δισχίλιοι καὶ πεντακόσιοι τῶν ἀπὸ Μασσανάσσου ἐς Σύφακα μεταστάντων καὶ αὐτοὺς ὁ Μασσανάσσης ἐπὶ τῷδε ᾔτησε παρὰ Λαιλίου καὶ κατέσφαξε.* Rem levissimam esse neque omnino in tali opere memoratu dignam unusquisque concedet. Quis non videt, hoc ex auctore desumptum esse, qui rebus numidicis scribendis operam dedit? Idem cadit in capitis 26. verba: *ἀπέθανον Μασσανάσσου τριακόσιοι;* in cap. 48. verba: *αὐτομόλησαν πρός Μασσανάσσην ὀκτακόσιοι;* in capitis 17. posteriorem partem; denique in capitis 32. extrema verba. Nam in rerum narratione in universum tam compendiosa jure meritoque eo offendimur, quod de donis Massinissae datis tot verbis sermo fit. Nam etsi Livius et ipse (XXX, 15, 11 et XXX, 17, 13) de donis Massinissae datis mentionem facit, tamen in Appiani compendio id non exspectatur. Constat enim, Livium haec ex annalibus

*) De numeris militum Romanorum (navium etc.) Appianus duodecim tantum locis, de numeris Poenorum et Numidarum autem triginta quattuor locis mentionem facit.

sumpsisse; e quibus Appiani graecus auctor ea non hausisse putandus est. Ex ipso Livio illa autem non orta esse eo probatur, quod non prorsus eadem ab utroque referuntur*). —

Denique alia re auctor Appiani semet ipsum quasi prodit. Qui enim fit, ut Numidas eorumque mores laudibus extollat, nisi quoniam amor patriae ad laudandum eum impulit: cap. 10 *Μασσυλέων δ' αὖ γένους ἀλκίμου παῖς ἦν τοῦ βασιλέως Μασσανάσσης.* — c. 11. *Ἴσασι δὲ καὶ λιμὸν φέρειν οἱ Νομάδες οἶδε καὶ πόᾳ χρῆσθαι ἀντὶ σίτου καὶ τὸ πάμπαν ὑδροποτοῦσιν.* Fortasse aliquis has laudes ad explorandum fontem minoris momenti censeat, sed is respiciat quaeso caeterorum scriptorum de Numidis judicia, ex quibus apparet, quam male audiverint inter reliquas gentes Numidae: Liv. XXIX. 23 »Hasdrubal, memor — quam vana et mutabilia barbarorum (Numidarum) ingenia essent« etc. Polyb. XIII, 1, 4 — *διὰ τὴν φυσικὴν Νομάδων ἀψικορίαν καὶ διὰ τὴν πρός τε θεοὺς καὶ ἀνθρώπους ἀθεσίαν.* — Laudem autem nullam inveni.

His omnibus rebus respectis de origine et gente auctoris Appiani certum judicium proferre licet. Nam etsi quidem graeco vel romano scriptori locorum nominumque Numidicorum et Libycorum peritiam tribuere possumus tamen ab iis prorsus alienum est res tradere, quae in usum Numidarum aperte scriptae sunt, nec unquam auctor graecus vel romanus Numidas, despectos barbaros, laudibus exornavit. Quibus de causis pro certo affirmaverim, Appiani auctorem Numidam fuisse.

Sed propius etiam ad naturam fontis et ipsum nomen auctoris accedere possumus, si eam rationem contemplamur, quae inter Massinissam illumque intercedit. Massinissam in tota narratione primum locum obtinere jam supra (p. 7) demonstravimus. Quid quod ad illustrandam et celebrandam Massinissae gloriam non modo major pars totius narrationis com-

*) Livius ll. cc. unum ex donis (*σφραγῖδα χρυσῆν*), quae Appianus habet, praetermisit. Itaque Appianus vel auctor ejus nullo modo e Livio sua haurire potuit.

posita esse videtur — quod per se satis memorabile est — sed etiam Massinissae laudandi causa res e vano finguntur, aut ita redduntur, ut a vero longe abhorreant. Hoc jam exemplis illustrare liceat. Primum quidem auctor noster in laudando non parcus est: c. 10 — *ὄντι δ' αὐτῷ* (Massinissae) *καὶ τὸ σῶμα καλῷ καὶ τὸν τρόπον ἀρίστῳ.* — c. 12 *Μασσανάσσης δὲ πόνων πᾶσιν ἐξῆρχε.* Sed quum re vera Massinissa laude dignus fuerit, hoc non urgeam.

Deinde autem facile cognoscitur, Appiani auctorem Massinissae plus justo favere. Hujus rei luculentissimum testimonium in cap. 37. exstat. Quis enim crediderit nostro, Massinissam propter amorem urbis Carthaginis (cujus tunc hostis erat) „*τὸ ἀξίωμα τῆς πόλεως αἰδούμενος*“ inducias conciliasse. Nonne luce clarius est, hoc sui ipsius commodi causa ab eo factum esse? — De partium studio, quod ex pacis legibus, quas legimus in cap. 54, elucet, jam pluribus verbis egit Nissen De pace a. 201 Carth. data p. 18. — Jam vero nemo non videt Massinissae merita in Romanos consilio et arte multis verbis illustrari atque urgeri. Duobus enim locis, in capp. 13. et 19. Massinissa non modo adjutor, sed liberator ac vindex Romanorum aperte significatur. In cap. 22 Massinissa solus Syphacis castra cepisse dicitur, quum e Polybio XIV, 4 constet, Massinissam Laelio adjutore id fecisse. — In cap. 26. de rebus gestis Massinissae et Numidarum multa verba fiunt, quum e Livio compertum habeamus, Numidas ad victoriam de Syphace reportandam nil contulisse, immo ne sustinere quidem potuisse impetum Syphacis. — Deinde conferas velim haecce Appiani verba cap. 26: *Τοῦ δ' αὐτοῦ χειμῶνος — Μασσανάσσης ἤτησεν ἐπὶ τῇ ἰδίᾳ στρατιᾷ τὸ τρίτον τῆς Ῥωμαικῆς παρὰ Σκιπίωνος*“, cum hisce verbis Livianis XXX, 9: »Postero die Scipio Laelium Massinissamque cum omni Romano et Numidico equitatu ad persequendum Syphacem mittit«. Quam diversus narrationis color! Nam cave putes, casu quodam apud Appianum Massinissam et Numidas primo loco nominari atque dici „*Μασσανάσσης ἤτησεν παρὰ Σκιπίωνος*“, quum apud Livium Scipio ipse Massinissam ire jubeat.

Recte enim miramur, si Appiano fidem adhibemus, quae quantaque Massinissa propria manu confecerit. In cap. 14. ipse rex Hannonem capit, ducem hostium; in cap. 26. ipse Syphacem et filium ejus captivat; in cap. 47. denique etiam Hannibalem captivum reddere conatur, sed tunc quidem frustra. Sed ne his quidem rebus Massinissae laudator sibi satisfecisse videtur; immo ad regis fortitudinem illustrandam nova et magna finxit: in cap. 26. Syphax pugna singulari vincitur; in cap. 44. regulus Massathes a Massinissa confoditur; in cap. 46. denique ipse Hannibal a rege lacessitus et acri certamine singulari commisso in fugam vertitur (cap. 47); fugientem autem rex persequitur. Nonne haec magis Massinissae panegyricum, quam rerum gestarum historiam sapiunt?

Verum dicat fortasse aliquis, minime quadrare in laudationem Massinissae, quae de perfidia et subdolo animo ejus in capp. 13. et 14. leguntur. Sed cave falsa ex hac re concludas. Nam nemo non ignorat, apud barbaros et maxime apud gentes Semiticas perfidiam fuisse calliditatem, subdolum animum astutiam, »Fides punica« omnibus nota est. Itaque auctoris numidici signa in illis quoque capitibus 13. et 14. exstant. Magis autem quam hac re, pugnis illis singularibus auctor Appiani naturam et originem indicat et prodit. Nam praeter proelia modo commemorata quartum certamen inter Scipionem et Hannibalem fictum multisque verbis descriptum exstat in cap. 45. Talibus rebus neque auctores Graeci neque Romani narrationes exornare student; immo haec quam maxime auctoris Numidici propria sunt. —

Restat, ut, quam arcta necessitate auctor noster cum Massinissa conjunctus fuerit, demonstrem. Iis nuntiis, qui in cap. 13. de secretis Carthaginiensium et Syphacis consiliis exstant fides debetur; nam veri speciem quaque ex parte prae se ferunt. Rectissime autem jam Ihne Röm. Gesch. II, adn. 420 monuit, scriptores Romanos has res nescisse; sed non modo hi eas nesciebant, vero nullus scriptor eos noverat, nisi qui cum

Massinissa, ad quem illa consilia spectabant, arcte conjunctus erat.

Idem fere cadit in ea, quae de rebus inter Syphacem et Massinissam actis in cap. 17 legimus. Per se enim patet, res illas arbitris remotis actas esse. Deinde unde petitus est nuntius secretae legationis, quam Sophoniba ad Massinissam misit (c. 27) nisi ex Massinissae ipsius ore? Unde auctor noster comperit, regem clam convenisse cum Sophoniba? Unde denique tam accurata de sermone inter Massinissam et illam habito sumpsit; nam cave credas, ea ficta esse; confirmat enim sua verba auctor Numidicus hisce verbis: *οὐδὲν δ' εἰπὼν ἔτι ἐξήλασε τὸν ἵππον* (Massin.).

Denique ne ulla dubitatio de arctissima conjunctione auctoris cum genere ac domo Massinissae relinquatur, locum afferam tam singularem et proprium, ut eo ipse auctor se aperte prodat: (c. 14) *Μασσανάσσης δ' ἐπεὶ τοῦτο ἐξετετέλεστο ἀπήντα τῷ Ἄννωνι ὡς φίλος ἐπανιόντι· καὶ συλλαβὼν αὐτὸν ἀπῆγεν ἐς τὸ τοῦ Σκιπίωνος στρατόπεδον καὶ ἀπέδωκεν Ἀσδρούβᾳ τῆς μητρὸς τῆς ἑαυτοῦ.*

Quomodo talia in historiam irrepserunt, nisi quia scriptor rerum illarum pietate inductus non modo Massinissae res gestas sed etiam matris ejus casus atque fortunam memoriae prodere voluit?

3.

Qua re absoluta jam eo venit disputatio nostra, ut de ipso nomine ac tempore auctoris Numidici certum judicium ferre liceat.

E gente Massinissae duo viri, quantum scimus, historiis scribendis operam dederunt; quorum alter Hiempsal II fuit, Massinissae pronepos, qui interfecto Jugurtha c. a. 100. a. Chr. Numidiae et partis Gaetuliae regnum accepit. Ex Sall. Jug. 17. videmus, Hiempsalem lingua punica de populorum Libycorum origine disseruisse; per se autem patet, Hiempsalem eodem

opere res gestas majorum suorum illustrasse ac celebrasse. Luce clarius est, Appianum hoc quidem opus non in usum vocasse; nam non lingua tantum punica impedimento fuit, sed etiam operis institutio ab Appiani consiliis quam maxime diversa erat.

Alter e domo Massinissae ortus rerum scriptor inter antiquos rerum conditores cum honore nominatur, Juba II, Jubae I filius, Hiempsalis nepos*).

Juba puerulus Caesaris ornavit triumphum, quem ille celebravit a. 46. a. Chr. (App. B. C. II, 101; Plut. Caes. 55). Itaque natus videtur a. 50. vel 51. a. Chr. Romae educatus et omnium liberalium artium doctrina imbutus juvenis sub Octaviano in bello Actiaco contra Antonium militavit (Dio Cass. LI, 15), atque paullo post ab ipso Augusto in regnum restitutus est (Dio Cass. l. c.).

Diem supremum Juba obiit a. 18. vel 19. p. Chr., id, quod ex annis nummis impressis satis elucet, cf. Müller Fr. H. G. III p. 466. Quantopere apud Mauros memoria ejus celebrata sit, ex eo colligi potest, quod Luccejus Albinus multos post annos spreto procuratoris nomine regis et Jubae nomen usurpavit, quo illis se insinuaret (Tac. Hist. II, 58).

Haec de vita et regno sufficiant, jam de scriptore videamus; nam, ut Plinii verbis utar (N. H. V, 1, p. 304 Tchn.) »studiorum claritate memorabilior quam regno fuit«. —

Juba multiplici doctrina et eruditione mirum in modum ex-

---

*) Quaestio de Jubae vita et scriptis latissime patet nec jam ad finem perducta est. Verumtamen hic non meum est aut novam de iis disceptationem instituere aut omnia quae ab aliis prolata sunt, repetere; immo quae ad Appiani fontem eruendum momentum afferunt hic retractare libet. Caeterum conf. Goerlitz Jubae reg. Mauret. vita et frg. Pars I Diss. Vratisl.; Pars II Progr. Gymn. Vratisl. 1862. — Plagge De Juba II rege Mauretaniae Diss. Monast. 1849. — Müller Frg. Hist. Graec. III, p. 464 sqq.

celluit. Quam variis rebus rex operam dederit hac tabula librorum ejus cognosces:

1. Ῥωμαϊκὴ ἱστορία.
2. Ἀσσυριακά libr. II.
3. Ἀραβικά.
4. Λιβυκά libr. min. III.
5. Physiologa.
6. De Euphorbia herba.
7. Περὶ ὀποῦ.
8. Περὶ γραφικῆς libr. min. VIII.
9. Θεατρικὴ ἱστορία lib. m. XVII.
10. Ὁμοιότητες libr. min. XV.
11. Περὶ φθορᾶς λέξεως l. m. II.
12. Ἐπίγραμμα.

Ex qua vides, illum de diversissimis rebus, pluribus fere semper libris egisse. Jure meritoque igitur Athenaeus III, 83, B Jubam *ἄνδρα πολυμαθέστατον* appellat.

Sunt autem qui contendant, Jubam docte, sed sine judicii acumine litteris operam dedisse; cf. Müller Fr. H. G. III, 468, nisi, ni fallor, fragmentorum argumentis, quibus fabularum amor nostri eluceat. Re vera a fabulis narrandis Juba sese non abstinuit sed cave falsa ex paucis illis particulis, quae ex Jubae operibus ad nos pervenerunt, concludas. Constat enim, scriptores antiquos — sunt autem omnia, quae exstant fragmenta ex scriptoribus deprompta — iis potissimum locis ad auctores suos provocare, ubi rerum traditarum periculum a se avertere student*). Quid de Herodoto judicaremus, si paucis fragmentis fabulae quaedam exstarent, opus ipsum autem periisset? Profecto valde erraremus, si ex illis concluderemus, veri studium Herodoti parvum, fidem autem historicam minimam fuisse. Idem in Jubam cadere censeo. Qua de causa in condemnenda fide historica nostri caute agendum erit, praesertim quum antiquitus viri summae auctoritatis ei maximam fidem habuerint.

Inter eos Augustus imperator ponendus est, qui quum Gaius Caesar filius a. 1. a. Chr. expeditionem Parthicam et Arabicam moliretur, ex sexcentis, qui in promptu erant viris doctis, Jubam elegit, qui ad docendum juvenem de regionum natura,

*) Id, quod saepius ab ipsis scriptoribus disertis verbis urgetur; cf. Sall. Jug. 17. „Caeterum fides ejus rei penes ipsos auctores sit". —

in quas profecturus erat Caesar, libros componeret (cf. Plin. N. H. VI, 27, s. 31. p. 377*).

Neque deinde Plinius vir doctissimus atque in omnibus litteris maxime versatus Jubae opera parvi aestimavit. Immo ea tanti habuit, ut magnas partes ex iis in suos libros reciperet. Nam octies et tricies ad Jubae auctoritatem provocat**) et plerumque ejus verba sua facit, nullo autem fere loco ejus sententiam rejicit.

Et ipse Plutarchus, vir litteratus, Jubae haud parvam auctoritatem tribuit. Cujus rei testimonium luculentissimum laus illa est, quam legimus in Vitae Sertorii cap. 9, ubi Juba *πάντων ἱστορικώτατος βασιλέων* nuncupatur. Quid quod Plutarchus septies decies ad Jubae auctoritatem provocat, qua re probatur, eum plurima ex Juba in suos libros transtulisse; id quod infra pluribus verbis demonstrabimus.

Eundem in modum apud posteriorum temporum scriptores Jubae auctoritas magna fuit.

Aelianus, qui c. a. 200 p. Chr. de natura animalium libros scripsit, ter, Philostratus Atheniensis, qui Septimio Severo regnante vitam Apollonii Tyanensis condidit, bis Jubam citat. Stephanus Byzantius quinque locis, Hesychius septem, Photius tribus Jubae fragmenta servavit.

Haec hactenus de Jubae fide et auctoritate; jam de opere quaestionem instituamus necesse est, ex quo Appianus libri VIII. capp. 1—66 hausisse videatur.

Utrum *Λιβυκά* an *Ῥωμαϊκὴν ἱστορίαν* in usum vocavit? De alio enim libro omnino cogitari non potest. Atque facile

*) Etsi quidem non disertis verbis traditur, Jubam ab Augusto jussum illos libros condidisse, tamen facile conjectura id assequimur.

**) Ac recte Reichardus (Kleine geograph. Schriften p. 515) monuit, Plinium non modo ubi Jubae nomen afferat, sed etiam generaliter dictis verbis, velut „ut plerique existimavere", similibus, saepissime ad Jubam provocare.

aliquis profiteatur sententiam, Appiani libri octavi partem priorem, de qua quaerimus, *Λιβυκοῖς* tribuendam esse. Nam supra demonstravimus, Appiani narrationem accuratissima rerum Libycarum scientia excellere; verum si diligentius in operis Jubae naturam inquirimus, sententia illa facile refellitur. Exstant duo tantum fragmenta, quae certe Jubae *Λιβυκοῖς* desumpta sunt, quorum alterum apud Plut. Par. min. c. 23 servatum est: *Μετὰ τὴν Ἰλίου πόρθησιν ἐξεβράσθη Διομήδης εἰς Λιβύην. Ἔνθα Λύκος ἦν βασιλεὺς ἔθος ἔχων τοὺς ξένους Ἄρει τῷ πατρὶ θύειν. Καλιῤῥόη δὲ ἡ θυγάτηρ, ἐρασθεῖσα Διομήδους τὸν πατέρα προὔδωκε καὶ τὸν Διομήδην ἔσωσε λύσασα τῶν δεσμῶν· ὁ δὲ, ἀμελήσας τῆς εὐεργέτιδος ἀπέπλευσεν· ἡ δὲ βρόχῳ ἐτελεύτησεν· ὡς Ἰόβας ἐν τρίτῃ Λιβυκῶν.* — Apparet haec a scriptore inventa esse, qui principia historiae Libycae enarrare sibi proposuerat, idque ita instituebat, ut illa cum graecis rebus gestis (Trojae excidio) et fabulis conjungeret. Quomodo autem fit — ut alias quaestiones hic missas faciamus — ut principia rerum Libycarum tertio demum libro referantur? Ad hanc quaestionem solvendam alterum, quod exstat, fragmentum aptum videtur, quod apud Athen. III, 83 B. invenitur: *Αἰμιλιανὸς δὲ ἔλεγεν Ἰόβαν τὸν Μαυρουσίων βασιλέα, ἄνδρα πολυμαθέστατον, ἐν τοῖς περὶ Λιβύης συγγράμμασι, μνημονεύοντα τοῦ κιτρίου καλεῖσθαι φάσκειν αὐτὸν παρὰ τοῖς Λίβυσι μῆλον Ἑσπερικὸν, ἀφ' ὧν καὶ Ἡρακλέα κομίσαι εἰς τὴν Ἑλλάδα τὰ χρύσεα διὰ τὴν ἰδέαν λεγόμενα μῆλα*; ex quo fragmento videmus, Jubam non minus Libyae descriptioni operam dedisse, quam rebus gestis scribendis, atque quum tertio demum libro de principiis sermo factus sit, nostro jure putamus, longe majorem partem illius operis naturae et regioni describendae dedicatam fuisse.

Eadem res alia quoque via demonstrari potest. Constat Jubam condidisse *Ἀραβικά*, quae Arabiae naturam, et *Ἀσσυριακά*, quae Assyriae regiones et naturam depingebant; nonne verisimillimum est, *Λιβυκά* descriptioni Africae dedicata fuisse? Praeterea multa exstant Jubae fragmenta, in quibus nomen

operis ex quo hausta sunt non exhibetur, quae vero tam aperte ad naturae Africae descriptionem pertinent, ut facile tibi persuadeas, ea e *Λιβυκοῖς* originem duxisse. Ubi enim, quae de Atlante (Plin. N. H. V, 1, 16 Sillig), quae de elephantis (Plin. N. H. VIII, 5 s. 5, 14), quae de Nilo (Plin. V, 9, s. 10, 51; Amm. Marc. XXII, 15, 8), quae de insulis fortunatis (Plin. 32, s. 37, 203—205) Juba tradiderat, locum habebant, nisi in *Λιβυκοῖς*?

Itaque hujus operis institutione Appianus quasi vetabatur, ne id in usum vocaret; atque pro certo affirmare possumus, Appianum alterum Jubae opus, suis consiliis magis congruum, fontem adhibuisse, Romanam dico historiam.

Ad Jubae *Ἱστορίαν Ῥωμαϊκήν* duobus tantum locis, hoc ipso nomine prolato, antiquus scriptor provocat, Stephanus enim Byzantius s. v. *Ἀβοριγῖνες* et s. v. *Ὠστία.* Atque haec duo fragmenta fere ad verbum apud Dionysium Halicarn. redeunt. Quae res Kiesslingium (Diss. de font. Dionys. Halic. 1, p. 27) movebat, ut errore Stephani nomen Jubae verbis Dionysii adscriptum esse conjiceret.

Hunc secuti Klapp (De vitarum Plut. auctoribus Romanis Diss. Bonn. 1862 p. 7); Franzisc. Leo (De Plutarchi quaestionum Romanarum auctoribus Diss. Hal. 1864 p. 20); Herm. Peter (Die Quellen Plutarchs in den Biographien der Römer p. 76—77) historiam Romanam a Juba compositam esse prorsus negarunt. Horum virorum autem sententia per se concidit; nam ipse Kiessling nuper conjecturam suam revocavit (Mus. Rhen. 23 a. 1868. p. 672). Similitudo enim, quae inter Jubam et Dionysium exstat, nunc rectissime ita explicatur, ut illum ex hoc hausisse putemus; quod collato Dionysio II, 5 et Juba in Plut. Quaest. Rom. 75 satis evidenter demonstratum est. Etsi igitur de ipsa historia Romana Jubae dubitare non jam licet, tamen ex paucis fragmentis, quae certe huic Jubae operi adscribi possunt, judicium certum de ea ferre non audeam. Quapropter felicissime accidit, quod nuper dissertatio publici juris facta est, qua Jubae libris,

de quibus quaerimus nova lux affertur. Soltau enim in disputatione, quam de fontibus Plutarchi in bello punico secundo enarrando (Diss. Bonn. 1870) instituit, argumentis multis firmisque evicit, vitae Marcelli magnam partem ex Jubae historia Romana ortam esse. Qua re nisi plura et ea certiora de natura et indole operis Jubae proferre possumus. Ac primum quidem eorum sententia nunc facile refutatur, qui censuerint, Jubam antiquissimis tantum temporibus diligenter describendis operam dedisse, posteriora autem brevissime absolvisse (cf. Müller l. c. p. 466). Defenderunt hanc sententiam viri docti loco quodam Stephani Byzantii, qui s. v. *Νομαντία* haecce habet: *Ἰόβας ἐν δευτέρῳ ἀρχαιολογίας* *). Quum autem a Soltavio demonstratum sit. Jubam bello Punico secundo accurate describendo operam dedisse, per se patet, de rebus Numantinis in altero libro sermonem non fuisse; immo luce clarius est, libri numerum perperam esse traditum, id quod sexcenties factum scimus. Neque alterum quod ab illis ad sententiam defendendam argumentum profertur ullius momenti est. Dicunt enim, fere omnia fragmenta, quae exstent, ad antiquissima tempora spectare. Quod concesserim. Verum quis nescit, scriptores iis potissimum locis ad auctores suos provocare, quibus res dubias tradunt; quod nimirum multo saepius antiquissimis, quam recentioribus temporibus contingit.

Jam vero de fontibus, quos Juba in usum vocaverit et de ratione, quam in memoria condenda secutus sit nonnulla proferre licet. Ac primum constat (cf. Kiessling Mus. Rhen. 23, 1868. p. 672) inter Jubae fontes Dionysium Halicarnassensem fuisse. Deinde per Ammianum Marcellinum XX, 15 scimus — quod ad nostrum finem persequendum haud parvi momenti est — Jubam libros Punicos adhibuisse. Cf. Goerlitz p. 17 sqq. Denique id

---

*) Quod ad nomen *ἀρχαιολογίαν* jam Klappius l. c. demonstravit, unum tantum librum Stephano notum fuisse, quem s. vv. *Ἀβοριγῖνες* et *Ὠστία* nomine *ἱστορία*, s. v. *Νομαντία* nomine *ἀρχαιολογία* significat.

facile tibi persuadebis, Hiempsalis libros in Jubae nepotis manibus fuisse nec in rebus scribendis ab eo neglectos esse. Plura per Soltavi commentationem constant. In ea enim parte historiae, quam Plutarchus ex Juba sumpsit (Vit. Marc. 9—12 (13); 24—29) complures auctores ab eo contaminatos videmus. Jubae principalis fons Livius fuit, quem aliunde corrigere conatus Augusti laudationem in Marcellum et Cornelii Nepotis quaedam opuscula et Ciceronis de senectute libellum inspexit et examinavit.

Itaque facile cognoscitur, Jubae diligentiam in fontibus exquirendis et examinandis maximam fuisse.

Quam diligentiam ut penitus perspiciamus, non abs re duxi paucis verbis ea attingere, quae de fontibus a Juba in descriptione Arabiae adhibitis constant. Nimirum enim rationem ibi initam etiam in rebus Romanis scribendis secutus est. Ac primum Onesicriti Astypalaeensis opera et Nearchi *παράπλουν* ad Persidis descriptionem Juba adhibuit (Plin. N. H. VI, c. 23 s. 26, 96). De India vero Ctesiam et Megasthenem secutus est. Deinde, si Plin. IX, 35 s. 56, 115 comparamus cum Athenaei lib. III. p. 83 B. Androsthenem quoque *ἐν τῷ τῆς Ἰνδικῆς περίπλῳ* Jubae fontem fuisse apparet. Denique Timagenem quoque inter Jubae fontes fuisse conjicere licet; cf. Goerlitz l. c. p. 39.

Restat, ut, quae ad illustrandam naturam atque indolem historiae Romanae habemus proferamus. Juba rerum gestarum narrationi non modo *adnotationes antiquarias* de moribus et institutis Romanis, sed etiam *grammaticas* de origine nominum et verborum quorundam inseruit, quippe qui rerum antiquarum et grammaticarum studiosissimus esset. Sunt autem loci, ubi in vita Marcelli talia occurrunt, hi: in cap. 2 quae de auguribus leguntur proxime accedunt ad Dionysii Halicarn. verba 2, 64, 31; in cap. 6 haecce verba exstant: *οὕτω γὰρ ἔθος ἐστὶ Ῥωμαίοις προσκυνεῖν τοὺς θεοὺς περιστρεφομένους*; in cap. 8 excursus de spoliis opimis exstat, cui similia habet Dionys. 2, 34; in cap. 22 denique ovatio quae sit explicatur et ita quidem, ut primum disseratur de indole ac vi ovationis, deinde de nominis origine, denique de

triumphorum a Lacedaemoniensibus celebratorum generibus; cum quo loco conferendus est Dionys. 5, 47.

Denique de partium studiis Jubae pauca moneamus necesse est; quae ejus studia fuerint in rebus numidicis tradendis supra satis demonstravimus; quae autem fuerunt in rebus Romanorum et maxime Scipionis scribendis? Etsi quidem argumenta aliunde petita non in promptu sunt, tamen ex ipsa auctoris origine et conditione satis apta erui posse existimo. Nam nec amor patriae, qui Livium tenebat, Numidam a vero avertebat, nec conjunctio cum gente Scipionum, qua Polybius occupatus erat, Jubam caecum reddidit. Quibus de causis facile tibi persuadebis, Jubam eas res Romanas, quae intra annos 204—201 in Africa gestae sunt, sine ira et studio rettulisse; de qua re infra plura proferemus. —

Postquam hac ratione omnia, quae de natura operis Jubae constant, eruimus et explicavimus, jam eo venit disputatio nostra, ut quam congrua huic naturae et indoli Appianea narratio VIII, 1—66 sit, demonstremus et proponamus. Quid, quod apud Appianum Livii vestigia aperte exhibentur? Capp. 7—8 compendium ex diffusa longaque narratione de apparatu belli a Scipione facto esse, facile intellegitur. Si Livium XXIX, 1 inspicimus tam mirus consensus occurrit, ut arctissima necessitudo inter eos a nemine non cognoscatur; quae necessitudo nullo modo explicationem habet, nisi statuimus, Jubam e Livio sua hausisse. Ne offendaris ea re, quod apud App. 7 legimus, decem triremes Scipioni datas esse, quum ex Livio XXVIII, 45, 21 constet, eum triginta (easque viginti quinqueremes et decem quadriremes) accepisse. Appianus numerum pro suo arbitrio imminuit, causam autem minuendi hisce verbis inesse puto (c. 7): *οὕτως ἀμελῶς ἥπτοντο* (Romani) *τοῦδε τοῦ πολέμου.* Paucitate navium noster ostendere voluit quam negligenter Romani hoc bellum aggressi essent. Deinde libros Punicos a Juba pro fontibus adhibitos scimus. Constat autem hos fontes a paucissimis scriptoribus Graecis vel Romanis in usum

vocatos esse. Appiani narrationem accuratissima rerum Punicarum descriptione excellere ne eum quidem fugere potest, qui obiter eam perlegit. Quum ad illustrandam hanc peritiam jam supra (p. 14) plura protulerimus, hic pauca adjicere libet. In nominibus Punicis afferendis noster multo minus parcus est, quam caeteri rerum scriptores: cf. c. 14 *Ἄννων* (*ἵππαρχος*); c. 15 *Μάγων* (*ἵππαρχος*); c. 24 *Ἄννων στρατηγός*, *Βουμίλχαρος υἱός*; c. 34 *Ἄννων γε ὁ Μέγας καὶ Ἀσδρούβας ὁ Ἔριφος*, alia. — Deinde haud facile intellegitur, unde accurata consiliorum secretorum Hasdrubalis et Hannonis notitia, quam in capp. 29—30 deprehendimus, fluxerit, nisi ex fonte Punico. — Idem cadit in cap. 24, ubi rerum ab Hasdrubale gestarum mira peritia occurrit; unde v. c. numeros copiarum ab Hasdrubale procul a Carthagine collectarum tam accurate comperit, praesertim quum Appianus ipse addat: *ὁ μὲν δὲ ταῦτα ποιῶν Ῥωμαίους ὁμοῦ καὶ Καρχηδονίους ἐλάνθανε.* — Denique satis memorabile caput 38. est, ubi de exitu Hasdrubalis certiores fimus: *Ὁ δὲ ἔφθασε ἐς τὸν τοῦ πατρὸς τάφον καταφυγὼν καὶ φαρμάκῳ διαχρησάμενος ἑαυτόν. Οἱ δὲ κἀκεῖθεν αὐτοῦ τὸν νέκυν ἐξελόντες καὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ἀποτεμόντες περιέφερον ἐπὶ δόρατος ἀνὰ τὴν πόλιν.* Quis non videt haec non nisi ex auctore optime de rebus punicis erudito oriri potuisse? Jam vero supra ex Plutarcho demonstratum est, Jubam praeter fontem principalem haud raro etiam libellos, ex. gr. laudationes, orationes, similia, inspexisse atque ex iis saepe nonnulla narrationi addidisse. Quid? quod ne horum quidem vestigia Appiano desunt?

In cap. 65 de causis disserit, quibus commotus Scipio pacem a. 201 a. Chr. conciliasse videatur; qua occasione data haecce ex Catone profert: *Εἴσι γὰρ οἳ καὶ τόδε νομίζουσιν, αὐτὸν* (Scipionem) *ἐς Ῥωμαίων σωφρονισμὸν ἐθελῆσαι γείτονα καὶ ἀντίπαλον αὐτοῖς φόβον ἐς ἀεὶ καταλιπεῖν, ἵνα μήποτε ἐξυβρίσειαν ἐν μεγέθει τύχης καὶ ἀμεριμνίᾳ. Καὶ τόδε οὕτω φρονῆσαι Σκιπίωνα οὐ πολὺ ὕστερον ἐξεῖπε Ῥωμαίοις Κάτων ἐπιπλήττων παρωξυμμένοις κατὰ Ῥόδου.* Quo loco aperte ad Catonis ora-

tionem pro Rhodiensibus a. 168 a. Chr. habitam provocatur, quae quinto libro Originum inserta erat. Num Appianus ipse illam inspexerit et ea verba ex illa desumpta narrationi addiderit, jure meritoque dubitamus. At contra Juba pro grammaticis suis et antiquariis studiis nimirum Catonis opera optime nota habuit. Verum id dubium videtur, num Juba ipsas Origines, an orationes Catonis, quae uno volumine collectae et in posteriora tempora propagatae videntur *), examinaverit. —

Haec hactenus de fontibus. Jam id quaeramus necesse est num etiam adnotationes antiquariae de moribus Romanis, quas a Juba rerum narrationi immixtas scimus apud Appianum reperiantur; ac ne haec quidem res nos frustatur. Descriptione pugnae Zamensis absoluta Appianus in cap. 48 initio ita pergit: *Σκιπίων δὲ νίκην ἀρίστην νενικηκὼς τὰ μὲν ἄχρηστα τῆς λείας ἐνεπίμπρη διαζωσάμενος αὐτὸς ὥστε εἰώθασι Ῥωμαίων οἱ στρατηγοί.* Quid ad rem, num Scipio accinctus praedam concremaverit? Immo apparet, haec antiquarium indicare, qui moribus depingendis operam dabat; atque facile nobis in mentem veniunt verba Vit. Marc. 6 *ὡς ἔθος ἐστὶ Ῥωμαίοις* similia, quae supra e Juba hausta demonstravimus (cf. p. 21).

In ipsa morum et institutorum Romanorum descriptione et explicatione Juba viam ac rationem quam maxime propriam et singularem iniit. Nam in descriptione non acquievit, sed nominum originem explorare et cum caeterorum populorum institutis Romanos mores comparare conatus est. Atque opus peculiare *ὁμοιότητας* inscriptum huic rei absolvendae dedicasse dicitur; cujus ambitus haud parvus fuit, nam liber XV. apud Hesychium (s. v. *κάρτη*) citatur.

Summi igitur momenti caput 66. est, quo forma triumphi diligentissime sciteque describitur *). Nam praeter antiquarii

---

*) Cf. Jordan M. Catonis praeter librum de re rustica, quae exstant. Lips. 1866. p. LVIII.

*) Appianus huic descriptioni nonulla verba immiscuit, e quibus facile

certa vestigia (cf. v. c. (*δάφνη*) *ἣν ἀεὶ Ῥωμαῖοι νομίζουσιν νίκης σύμβολον* similia), hoc maxime mirum est, quod locus quidam in illo capite exstat, qui *Ὁμοιότητας* nobis in memoriam revocat: *Αὐτοῦ δ' ἡγοῦνται τοῦ στρατηγοῦ ῥαβδοῦχοι φοινικοῦς χιτῶνας ἐνδεδοκότας καὶ χορὰς κιθαριστῶν τε καὶ τιτυριστῶν ἐς μιμήματα Τυῤῥηνικῆς πομπῆς περιεζωσμένοι τε καὶ στεφάνην χρυσῆν ἐπικείμενοι· κτλ.* Atque in eodem capite alius locus Jubae haud minus proprius invenitur; quum enim ex Plut. Numa 13**) constet, Jubam verborum latinorum originem lingua graeca adhibita explicare solitum fuisse satis memorabile est, quod apud App. 66. ludionum nomen hac ratione explicatur: *Λυδοὺς αὐτοὺς καλοῦσιν, ὅτι (οἶμαι) τυῤῥηνοὶ Λυδῶν ἄποικοι.* — Feliciter autem accidit, quod Plut. Marc. 22 ex Juba ovationis descriptio servata est; ex qua re cognoscimus, Jubam de minore triumphi forma diligenter sciteque disseruisse; nonne verisimillimum est, eundem etiam de majore forma occasione data nonnulla protulisse?

Quae quum ita sint, pro certo affirmare licet, J u b a m A p p i a n i a u c t o r e m fuisse. —

Jam reliquum est, ut exemplis prolatis demonstremus, Appiani auctorem sine partium studiis res Romanas rettulisse; quam rem ita instituemus, ut collato Livio et Polybio evincamus, Appianum haud raro propius ad verum accedere quam hos. De primis rebus in Africa a Scipione gestis duae exstant narrationes: Liv. XXIX, 28, 10—29, 4; ib. 34—35 et App. Lib. 14—15. Si perversitatem narrationis Livianae recte perspicere vis, animum vertas in temporum rationem, quam Livius proposuit; rerum enim gestarum ordo, quem Liv. XXIX, 28, 10—29, 4 praebet, hic est.

---

aliquis concludat, Scipionis Africani triumphum a. 201. a. Chr. celebratum, non autem formam triumphi in universum describi. Sed verba: *καὶ ὁ τρόπος, ᾧ καὶ νῦν χρώμενοι διατελοῦσιν ἐστὶ τοιόσδε* satis aperte naturam nostri loci indicant.

**) Plut. l. c. *Ἰόβας — γλιχόμενος ἐξελληνίσαι τοὔνομα.*

1. Copiae exponuntur XXIX, 27, 13
2. Proximi tumuli occupantur ib. 28, 1
3. Postero die mille equites Hannone duce in castra Romana incidentes occiduntur
4. Scipio agris vastatis urbem maximam capit XXIX, 29, 2.

Earum autem rerum ordo, quas XXIX, 34—35 legimus, quaeque nimirum post res modo narratas gestae sunt, hic est:

1. Scipio stativa castra ad mare paucos dies habet XXIX, 34, 3.
2. Scipio ad Uticam castra transfert.
3. Proelium equestre committitur et Poeni simul cum duce Hannone interficiuntur.
4. Salaeca urbe expugnata ad agros vastandos pergunt Romani.

Itaque urbe maxima capta XXIX, 29, 2 castra a Scipione ad mare relata sunt! Res profecto satis mira et stupidi imperatoris. Sed hoc levius; quid autem dicamus, si legimus, Scipionem tum iterum Hannonem quendam proelio equestri vicisse, iterum magnam urbem cepisse, iterum ad agros vastandos profectum esse. Huc accedit, quod ex ipso Livio XXIX, 35, 2 videmus, alios auctores, quos Livius inspexit, unum tantum proelium equestre narrasse, et Livium ipsum dubium esse, num vera, an falsa tradiderit. Itaque pro certo affirmari potest, Livium ex diversis fontibus eandem rem bis enarrasse; id, quod saepius ei accidit.

Prorsus alia est ratio narrationis Appianeae VIII, 14—15. Appianus enim, vel auctor ejus non modo nulla in re sibi repugnat, sed etiam optime eruditum se praebet.

Itaque, si hoc addidero, Zonaram P. 1. 438 A B. maxima ex parte Appiani narrationem comprobare, omnes concedent, Appiano hoc loco majorem fidem adhibendam esse quam Livio et per illum hunc esse corrigendum. Livius XXIX, 34 et Appianus 14 ita inter se discrepant, ut qui obiter utramque narrationem perlegit, facile incidat in suspicionem, ab utroque

prorsus diversas res gestas describi. Sed cave erres. Esse enim equestre proelium Livianum (c. 34) idem, quod App. 14 refert his rebus certe evincitur. Primum idem viri eorundem nominum easdem fere partes apud utrumque agunt: Massinissa apud utrumque Carthaginiensium equitatum in insidias pellicit; per communem Scipionis et Massinissae impetum alterius a fronte alterius a tergo hostes obruuntur; equitum praefectus Hanno est, qui, si Valerium et Coelium, idem proelium quod Livius narrantes sequimur, in hoc proelio capitur. Denique, quod maximum est, Livius 34, 17 dicit »inter eos (captos et occisos) satis constabat non minus ducentos Carthaginiensium equites fuisse et divites quosdam et genere illustres«; Appianus autem et ipse tradit, lectissimos Poenorum equites Hannonem contra hostes duxisse. Quum autem raro stipendia meruerint nobiles Carthaginienses (cf Weissenborn ad Liv. l. c.; Mommsen Röm. Gesch. 1. 477 sqq.), apparet, idem proelium equestre ab utroque significari.

Ubi autem apud Livium ea sunt, quae Appianus in cap. 15 de oppugnatione urbis Lochae, de foedere rupto, de contrucidatis incolis, de centurionibus supplicio affectis habet? Sane de rebus quibusdam ante urbem Salaecam, quae sine dubio eadem est, quam Appianus Locham appellat*), gestis et de praesidio urbi imposito apud Livium nonnulla exstant, sed quam falsa sint Appiano collato facile intelligitur. Nam proelium illud equestre ad urbem Salaecam factum tradit, quum ex App. 14

*) Inter ipsa nomina quaedam similitudo intercedit: Salaeca — Locha. Fortasse aliquis dicat, verba a librario corrupta esse; sed magis probabile mihi videtur, huic rei inesse vestigium auctoris, quum Appiani auctor Numidicus Numidicam nominis formam, Livius autem Graecam vel Romanam tradiderit. Aliud hujus rei exemplum occurrit Liv. XXIX, 29, 8, ubi nomen Mazaetullus affertur, quod nomen redit apud App. 33: *Μεούτυλος*; cf. Weissenborn ad Liv. h. l. Friedersdorff l. c. p. 65. — Caeterum non a verisimilitudine abhorret, Appianum nomen Locha mutilatum tradidisse; cf. Nissen Quaestt. Liv. p. 115.

constet, id apud turrim Agathoclis fuisse; Hannonem cum equitibus urbis praesidium fuisse falso narrat, cum ex Appiano certo concludi possit, Hannonem cum Hasdrubale sub divo castra habuisse. Causa cur Livius a vero recesserit, facile cognoscitur. Quid? nonne magna macula adspersisset Scipionem, si tradidisset, quae re vera ad urbem Salaecam gesta essent, quamque soluta fuisset militum disciplina, qui contra ictum foedus et contra imperatoris jussum cives inermes contrucidaverant. Nimirum talia amici Scipionis quasi velamine obtegere conabantur, praesertim quum Cornelio id maxime crimini daretur, quod disciplinam militum corrumperet; cf. Liv. XXIX, 19, 4; ib. 19, 11.

Itaque id, quod demonstraturi eramus, sumus consecuti: Appiani auctor sine partium studiis res romanas reddere solet.

Jam alterum ejusdem rei exemplum brevibus verbis proponere liceat. De ordine et instructione acierum, qua in pugna Zamensi et Poeni et Romani usi sint, in universum et Appianus et Polybius (Livius) eadem referunt; nonnullae autem occurrunt discrepantiae satis memorabiles. Tradit enim Polybius XV, 9, 8 (Liv. XXX, 32, 2) Laelium cum Italico equitatu laevo cornu stetisse, quum App. 41 referat, italicum equitatum propter odorem elephantorum. quem equi ferre non assueverant *ὀπίσω πάντων* locum habuisse.

Contendat fortasse aliquis, Polybio, quem in universum Appiano meliorem scriptorem fuisse scimus, majorem fidem tribuendam esse; sed cave erres. Appianus enim de Italico equitatu (c. 43) et de servis iis adjunctis (41) tam accurata habet, ut ea nullo modo ex vano ficta esse possint; cur autem eum consilio et arte falsa tradidisse putemus mente assequi non possum. Prorsus alia ratio est Polybii; is profecto non sine causa rem mutavit; nam equitibus romanis, quorum plurimi nobili loco nati erant dedecori fuit *ὀπίσω πάντων* stetisse.

Sexcenta exempla, quibus idem possim evincere, in promptu sunt; sed haec ad rem absolvendam sufficiant.

His omnibus rebus absolutis ratiocinationi nostrae jam finem imponere licet; neque fore quemquam confido, qui rebus recte perpensis neget, Appiani libri VIII, capp. 1—66 fontem principalem Jubam fuisse.

4.

De ratione, qua in fontibus reddendis Appianus usus sit in universum jam supra egimus; cf. p. 2. sqq Iam quaerendum erit, quomodo in libri VIII capp. 1—66 Jubam tractaverit.

Sed antequam ad hanc rem progrediamur, quaestiuncula absolvenda erit de forma, qua libri octavi exordium ad nos pervenerit; nam Appiani verba non integra servata esse contenderim. Offendimur nostro jure brevitate narrationis, quam Appianus de Reguli expeditione praebet, de qua recte Schweighaeuser (Opusc. acad. II, 44) haece monet: »De Atilii certe Reguli adversus Carthaginienses expeditione, cujus describendae proprius hoc libro locus erat, nimis quodammodo, pro ea quidem ratione, quam caeteroquin in rebus hujusmodi exponendis sequi solet Appianus stricta atque concisa videbatur narratio.« Sed haec leviora; majoris momenti est ad rem dijudicandam, quod in libri VI. cap. 14. haecce Appianus ipse profert: *καὶ ὅσα Λόγγος* (Tib. Sempronius Longus Cons. 218 a. Chr.) *τε καὶ οἱ λοποὶ Ῥωμαίων στρατηγοὶ περὶ Λιβύην ἔπραξαν ἐν τῇ Καρχηδονικῇ βίβλῳ συγγέγραπται.* Itaque in libri punici initio de rebus c. annos 218 sqq. ad Africae oram a Romanis susceptis mentio facta erat; quid? quod ne unum quidem verbum de iis in libro Punico, quem nos habemus, exstat? Ex hac re certe licet concludere, Appiani verba, initio quidem libri octavi, non integra ad nos pervenisse; immo ea ab epitomatore in brevius redacta videntur. Itaque in compendiosissima capitum 3—6 narratione vix quisquam agnoscat Jubam auctorem; sed cave credas, ea ex alio fonte orta esse; nam ne unum quidem argu-

mentum inveniri potest, quo hanc sententiam possis defendere; quum autem Appianus in universum unum maxime auctorem sequi soleat, omnia ex eo hausta putabimus, nisi certis argumentis contrarium evinci potest.

Jam videamus, quae e suo Alexandrinus narrationi Jubae inseruerit. Inter ea primum referenda sunt capp. 1—2, quibus res Carthaginiensium ab urbe condita usque ad finem uno conspectu nobis ante oculos ponuntur.

Talia Appianus praefationis loco singulis libris addere solet; cf. lib. VI init.

Deinde omnes orationes, quae in libri VIII. capp. 1—66. leguntur sine dubio ex Appiani ingenio ortae sunt: capp. 42; 50—53; 57—64. — Fictas esse orationes hisce verbis aperte indicatur: (cap. 64): *Τούτοις* (Poenis) — Lentulus Romae ait — *τίς ἔστι ἔλεος ἢ μετριοπάθεια παρ' ἑτέρων τοῖς οὐδὲν μέτριον οὐδ' ἥμερον ἐς οὐδένας εἰργασμένοις, τοῖς, ὥσπερ ἔφη Σκιπίων, εἰ ἐλάβοντο ἡμῶν οὐδ' ἂν ὄνομα Ῥωμαίων ὑπολιποῦσιν.* Eam autem orationem ad quam Lentulus provocat, paucos ante dies Scipio in Africa habuerat. Quomodo Lentulus Scipionis verba scire potuit? Qua autem negligentia Appianus in rebus fingendis usus sit, nostro loco optime perspicere possumus; in cap. 57 enim dicit: *ὑπαναστὰς δέ τις τῶν Σκιπίωνος φίλων, εἶπεν κτλ.*, itaque ne nomem quidem hujus oratoris noverat; — in cap. 62 haec verba exstant: *Πούπλιος δὲ Κορνήλιος, Κορνηλίου Λέντλου, συγγενὴς τὸν τότε ὕπατον — ἀντέλεγεν;* Sed P. Cornelius Lentulus eo temporis momento atque toto eo anno, quo haec Romae gesta sunt (a. 201 a. Chr.) in Hispania erat, unde a. demum 200 a. Chr. Romam rediit; cf. Weissenborn ad Liv. XXX, 41, 5: Quid de tanto errore dicamus? Profecto maxima oritur suspicio, Appianum traditis rebus neglectis ipsas res in senatu actas finxisse; quae sententia eo fit probabilis, quod ex Livio XXX, 43 sqq. videmus, illas res ab eo tantum plane atque dilucide reddi potuisse, qui jus publicum ejus aetatis bene notum haberet; quae notitia Appiano vix tribui possit. Qua de

causa nonnulla ex suo fingere, quam veram rerum narrationem recipere maluit.

Major nostri neglegentia, ne dicam socordia, in temporibus computandis est. Nam in ea parte historiae, quam tractamus, nullo loco annus certe indicatur*), quamquam res ab anno 256 a. Chr. (sane breviter) in Africa gestae in capp. 1—66. enarrantur. — Sed non modo annos non significare, verum, quod majus vitium est, tempora falso indicare solet; quod hoc exemplo liceat illustrare. Ex Livio XXIX, 35, 13 et e Dione fr. 57, 67—70. (Zon. P. 1. 438 B.) scimus, post Uticae irritam oppugnationem (cf. App. 16), hiemem anni 204|3 fuisse. Hanc Appianus e consuetudine sua plane omisit, quod scriptori, qui *ἐκ διαστημάτων* (cf. praef.) tempora indicare sibi proposuerat, condonaverim. Quid autem, quod paullo post in cap. 25. prorsus falso loco hiemis antea praetermissae mentionem facit? Dicat fortasse aliquis, Appianum in cap. 25. hiemem anni 203|2 significare; sed cave erres; nam in capp. 31 sqq. res auctumno anni 203 gestae referuntur. — Atque, ut error errorem gignit, Appianus in cap. 26. prorsus falso tradit, expeditionem contra Syphacem hieme factam esse, quum e Polybio et Livio constet, eam aestate a. 203. esse susceptam.

*) In cap. 67 demum annus isque satis incerte profertur: *καὶ ὀλυμπιάδες ἐν τοῖς Ἕλλησιν ἦσαν ἀμφὶ τὰς ἑκατὸν καὶ τεσσαράκοντα καὶ τέσσαρας* 204—201 a. Chr.

II.

Aliam rationem et viam in Cassii Dionis fontibus exquirendis ineamus necesse est. Nam quum ex eodem fonte Appianus et Dio res gestas annorum 204—201 hauserint, explorato Appiani fonte Dionis auctor facile cognoscitur, neque quidquam ad rem absolvendam opus est, nisi accurata utriusque rerum scriptoris comparatio.

Dio autem non in Appiani modum unum auctorem fundamentum sibi eligere solet, sed ex diversis auctoribus, ut quisque ei maxime ad verum accedere videbatur opus suum conficiebat. Itaque quaestio de Dionis fontibus tum demum absoluta erit, si singillatim omnes narrationis particulas perlustraverimus et qui uniuscujusque auctor fuerit exploraverimus; quapropter in disputatione nostra omnia Dionis verba, quae exstant, tractando persequemur.

1.

Ac primum quidem demonstrandum est, Appianum et Dionem ex eodem fonte hausisse.

Ex iis, quae Dio Cassius de rebus gestis annorum 204—201 a. Chr. conscripsit non modo fragmenta haud pauca servata sunt fr. 57, 62—86 ed. Dindorf,, sed etiam epitome, a Zonara confecta*) (Zon. IX, 11 – 14; P. 1. 436—488**)) ad nos pervenit.

Jam dudum constat inter viros doctos inter Dionis fragmenta et maxime inter Zonarae locum citatum et Appiani libr. VIII, 1—66 miram quandam necessitudinem intercedere, inter Zonaram autem et Livium et Polybium multis locis differentias maximas existere. Facile intelligitur, non casu quodam factum esse, quod Zonaras a Liviana narrationis forma — quacum, ut infra videbimus, haud raro consentit — iis potissimum locis recedit, ubi

*) Cf. Schmidt Zeitschrift für Alterthum 1839. No. 30 sqq.

**) P = Edit. Parisiensis anni 1686 a Ducangio curata

de rebus Massinissae vel Carthaginiensium (i. e. de rebus Libycis) mentio fit, atque his ipsis locis fere semper quam maxime cum Appiano consentit.

Qua re suspicio maxima oritur, Dionem in rebus Libycis scribendis pro sua in fontibus exquirendis diligentia eum auctorem sibi elegisse, quem et ipse Appianus in libris Punicis in usum vocavit, nimirum Jubam. Quae sententia evincitur et probatur loco quodam Dionis quam maxime memorabili et ad auctorem cognoscendum proprio.

Zon. P. I. 439 C. tradit, Massinissae matrem divino quodam afflatu — *θειάσασα* — conjurationem cognovisse, quam Iberi in castra Romana molirentur. Haec verba quam certissime indicant rerum scriptorem cum Massinissa conjunctum — nimirum Jubam. Ex Appiano enim scimus (cf. c. 14.), Jubam etiam matris Massinissae casus rettulisse, quos ne noverat quidem quisquam, nisi qui cum Massinissae genere arcte conjunctus fuit. Atque quum re vera Massinissae mater in castris Scipionis fuerit (App. 14.) illi nuntio aliquid veri subesse censeo; sane non per deum, sed per populares conjurationem cognovisse videtur. *)

Itaque pro certo affirmare licet, Cassium Dionem et ipsum Jubam inspexisse. Nam quum Appianus illam rem non referat, ne id quidem suspicari possumus, Dionem ex Appiano sua hausisse. Sed Jubam unicum Dionis fontem non fuisse collato Appiano facile videmus; immo diversorum auctorum vestigia praeter Jubam occurrunt, quorum primum locum Livius obtinet, quem

*) Quantopere ii errare soleant, qui fontium originem et naturam ignorantes ad memoriam scribendam sese applicant, exemplo illustrare liceat. De Massinissae matre ejusque casibus hoc judicium profert Wilh. Ihne, Röm. Gesch. II. Adn. 412: „— Hanno wurde gegen Massinissas Mutter ausgewechselt. Diese alte Numidierin musste in den Fabeleien über den africanischen Krieg auch ihre Rolle spielen. Sie war eine Zauberin (!) oder Seherin und half eine Verschwörung gegen Scipio entdecken“. — Quam leviter ac temere haec dicta sint, unusquisque intelligit, qui accuratius in fontium naturam inquisiverit.

aliis quoque locis Dioni fundamento fuisse scimus; cf. Nissen Quaestt. Liv. p. 309. Ex caeteris auctoribus paucissima desumpta sunt et propterea nil refert, num eorum nomina cognoscamus necne.

2.

Quae quum ita sint, omnes difficultates, quae disquisitio fontium Dionis hucusque praebuit, facile solvuntur, quod in singulis perlustrandis demonstrabimus.

Apud Zon. P. 1. 436 de Massinissae defectione ad Romanos legimus, quorum verborum fontem in incerto relinquam. — Sequuntur Zon. P. 1. 436 D. 437 C. res gestae Scipionis anni 205 a. Chr., quibus in rebus narrandis Livius usurpatus est, cf. XXVIII, 45—46; XXIX, 1, 1—18; ib. 3—4; ib. 13, 2; ib. 22, 12. — Deinde, quae de Massinissa initio capitis 12. leguntur sine dubio e Juba orta sunt, cf. App. 13. Verba: „*ἐπειδὰν* (Carthaginienses) *τὸν Σύφακα τὴν ἀρχὴν αὐτῷ* (Massinissae) *ἀποδοῦναι*“ Appianus non habet. — Legatio Syphacis ad Scipionem et Scipionis transitus in Africam e Livio desumpta sunt; cf. XXIX, 24—28. – Res autem primo anno in Africa gestae: Zon. P. 1. 438. Cass. Dio. fr. 57, 64—70. Juba auctore narrantur, cf. App. 14. Dionem in his rebus narrandis a Livio XXIX, 28, 10—29, 6; ib. 34—35. recessisse quum ex multis aliis tum ex eo apparet, quod Hannonem, equitum praefectum, Hasdrubalis Gisgonis filium nominat, quum Liv. XXIX, 34. Hamilcaris filium appellet. — Appianus neque haec habet: *ὁ δὲ Σύφαξ τῆς πρὸς Ῥωμαίους φιλίας ἀπειπὼν φανερῶς τοῖς Καρχηδονίοις συνήρατο*, neque tradit, Syphacem et Hasdrubalem Uticae obsidionem solvisse fr. 57, 69; quod non mirum videtur, quia apud Appianum inter capp. 16. et 17. lacuna exstat, qua et aliae res et hiemis commemoratio exciderunt cf. p. 59. Jam supra autem demonstravimus, Appianum negligenter fontem reddere, ubicunque eum in compendium redegerit; qua de re

verba: (ὁ δὲ Σύφαξ) ἔτι ὑποκρινόμενος εἶναι φίλος ἑκατέροις (cf. 17), quae Dioni repugnant, non presserim; immo majorem fidem Dioni tribuam. —

Sequuntur res gestae anni 203 a. Chr. Cn. Servilio Caepione et C. Servilio coss.

Initio hujus anni, Zon. l. 438 B; cf. fr. 57, 72, pacis petitio, Hannibalis et Magonis decessus ex Italia, legatorum Punicorum ad castra Scipionis devectorum dimissio breviter commemorantur ex incerto quodam fonte. Quum autem hae res fine demum anni 203 factae sint et ipse Zonaras paullo post easdem accuratius repetiverit, nostro jure opinamur, Zonaram (vel Dionem) errore ductum easdem res ex diversis fontibus bis enarrasse. — Castrorum incendium, Zon. 438 D, ex Livio XXX, 3 sqq. et Juba (App. 17—23) contaminatum est. Jubam sapiunt haecce: ὁ Σύφαξ ἐπιβουλεύων ἐφωράθη τῷ Μασσινίσσᾳ; verum Dio finxit, has insidias ruptarum induciarum causam fuisse. Deinde cum Juba Dio in ea re consentit, quod Carthaginienses prius quam Syphacem impugnatos et Syphacis milites opem laturos a Romanis occisos esse tradit. cf. App. 21. — Item ex Juba desumptum videtur, quod de pugna cum Iberis P. l. 439 traditur. Certum judicium de ea re ferri nequit, quia Appianus inter capp. 23 et 24 multa ejecit et inter ea etiam illam pugnam. Sine dubio Dio praelium in campis magnis factum sentit cf. Polyb. XIV, 8; in tempore computando autem errat, quum non postero die, sed fere totius mensis spatio post castrorum incendium ibi pugnatum sit; Polyb. l. c. — Zon. 439 B e Juba proelium navale, Hasdrubalis ab imperio remotionem, conjurationem Iberorum a Massinissae matre ad lucem protractam continet, cf. App. 24—30. Dio hoc loco multo melius quam Appianus rerum ordinem servavit, qui in capp. 24—30 mendis abundat, quae dissolvi non possunt nisi Zonara collato. — Zon. 439 C D — 440; Cass. Dio fr. 57, 73 e Livio XXX, 11—15 orta sunt. Livii cap. 12 conferas cum hisce Zonarae verbis: καὶ τὴν πόλιν παρέλαβον ἀμάχως τοῖς ἔνδον δεδεμένον αὐτὸν (Syphacem)

ἐπιδείξαντες. Longe aliter App. 27. — Quae Zon. 440 C de Syphace et Vermina tradit, ex incerto quodam malo fonte desumpta sunt; nam falso traditur, Verminam Romam ductum esse; immo a. 202 a. Chr. Poenos exercitu adjuvit; cf. Liv. XXX, 36. — Per Zon. P. 1 440 D; Cass. Dio fr. 57, 74 certiores fimus de pacis deliberationibus. Has res Dio ex Livio et Juba arte critica adhibita composuit. Unde autem haec verba orta sint, nescio: *καὶ αὐτοὺς* (legatos Poenorum) *ἐκεῖνοι* (Romanorum senatus) *τότε οὐ προσεδέξαντο, λέγοντες οὐκ εἶναί σφισι πάτριον, στρατοπέδων τισὶν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ ὄντων ὑπὲρ εἰρήνης χρηματίζειν. ὕστερον δὲ ἀπάραντος τοῦ τε Ἀννίβου καὶ τοῦ Μάγωνος λόγον αὐτοῖς ἔδωκαν.* Quamquam non negaverim, senatum negasse se de pace acturum esse cum hoste intra fines Italiae castra habente tamen in eo nuntio quem de Magonis secessu e Liguria habet aperte fallitur. Nam ex App. 32 scimus, inter pacis leges, quam post legationem illam Poenorum Roma reversam in Africa Scipio Carthaginiensibus concessit hanc fuisse: *Μάγωνα μὲν ἀποπλεῖν ἐκ Λιγύων αὐτίκα.* Atque ipse Zonaras (Cassius Dio) paullo post Magonem in Liguria etiam tum morantem facit, sed ne sibi repugnantia tradat, Magonem denuo in Liguriam missum esse refert. Quae quam falsa sint unusquisque videt. Livium vero non sine judicio secutus est, quod eo apparet, quod ejus errorem de pace infecta (Liv. XXX, 23, 7) emendavit, nimirum e Juba, atque tradit, pacem a patribus sancitam fuisse. — Zon. 441 A B; Dio fr. 57, 75 indutias ruptas, Hasdrubalis exitum, Hannibalis primas res in Africa gestas continent; Jubam harum rerum auctorem cognoscimus collato Appiano 33—38. Ad rerum memoriam constituendam alicujus momenti sunt haec Dionis fragmenta, quoniam ex iis videmus, Appianum de impetu in legatos facto, rejecto Juba, falsa finxisse, nimirum ad movendos lectorum animos. Juba enim tradiderat, legatos vento exorto servatos esse (cf. Zon. l. c.); quod sine dubio propius ad verum accedit, quam Appiani narratio.

Etiam App. 38 per Zon. l. c. aliquid lucis affertur, de capitis damnatione enim Hasdrubalis, de qua refert Zonaras (Cassius Dio) Appianus pro sua levitate nihil tradit. — De errore remissi Magonis jam supra mentionem feci. – Maximi momenti est, quod Dio Jubae narrationem de bello Hannibalis et Massinissae hieme anni 203/2 gesto probat. Nam de hoc bello neque apud Polybium neque apud Livium quidquam traditur, quum uterque Hannibalem paullo ante pugnam Zamensem Hadrumeto, ubi primum naves appulerat proficiscentem faciat, quasi per totam hiemem segniter in hibernis consedisset! — Novi anni consules (202 a. Chr.) eorumque res gestas Dio (Zon. 441 C) ex Livio XXX, 38, 6 sumpsisse videtur. Qua re absoluta statim redit ad Jubam Zon. P. 1441 C D, cf. App. 36. De errore, quem Appianus in tempore computando commisit, p. 59 egimus; Zon. l. c. recte veris initium affert. Deest Appiano nuntius cladis ab Hannibale Massinissae illatae; cf. Zon. l. c., qui nuntius sine dubio e Juba ortus est et summam habet fidem. Eo magis mirum videtur, quod Polyb. XV, 5, 15 tradit, Massinissam feliciter rem gessisse; quomodo hae discrepantes res solvi possint, hic non meum est quaerere; verum facile vides, quanti momenti sit, scire, cui major fides tribuenda sit. — Sequentibus verbis Zonarae 441 D, quibus de exercituum motu, de proelio equestri, de frumento intercepto certiores fimus sine dubio Jubae narratio fundamento fuit cf. App. 36. De exercituum motibus Zonaras l. c. accuratiora habet, de frumento intercepto autem ex Appiano plura discimus. Caeterum Zonaras rem aliquantulum mutavit et in rebus reddendis a vero recessit: non enim *σκευοφόρα καθ' ὁδὸν τυγχάνοντα*, sed *ἀγορὰν* (commeatum) Scipio cepit; neque haec res *ἐτάραξε* Hannibalem sed ad inopiam redegit. Talia autem in rerum scriptoribus posteriorum temporum ab ipsis rebus gestis multis saeculis diremptis offensionem non praebent. – Novarum indutiarum mentionem (Zon. P. 1. 442) noster ex Juba et ex Livio et ex suo contaminavit. Jubam indicant haecce verba: *πέμψας οὖν πρὸς τὸν Μασσινίσσαν δὶ*

ἐκείνου ὡς ὁμοφύλου τὰς σπονδὰς ᾔτησεν· καὶ ἦλθε μὲν ἐς λόγους Σκιπίωνι cf. App. 37. Memoria autem dimissorum legatorum ex Livio XXX, 29 orta esse videtur; quamquam prorsus nescio, cui auctori eam rem tribuam, quam legimus Zon. l. c. hisce verbis expressam: *οἱ γὰρ δύο* (legati) *παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις μεῖναι ἠθέλησαν.* Num ipse Dio haec finxit?

Dionis autem ingenio sine dubio tribuendum est, quod de colloquio et de dolo, quem contra Hannibalem Scipio moliebatur habet; talia fingere a scriptoribus antiquis non alienum est; facile autem vides, Dionem res fictas tradidisse si App. 38—39 inspicis, ex quo apparet, pugnam Zamensem non statim post colloquium factam esse. Pugnae Zamensis descriptio maxima ex parte e Juba orta esse videtur. Sine dubio enim ea, quae de loco et tempore pugnae apud Zon. P. 1. 442 B C leguntur ad Jubam redeunt (cf. App. 40). Ipsa pugnae narratio tam brevis et in angustum coacta est, ut de auctore ejus certum judicium ferre non audeam. Pugna singularis inter Massinissam et Hannibalem commissa non prorsus eodem modo apud utrumque describitur; sed in rebus levibus neuter neque Appianus neque Dio auctoris sui vestigia diligenter sequi solet. De pace facta foederisque legibus (Zon. 443 A B) jam Nissen (De pace a. 201 Carth. data p. 8) monuit, Dionem fere medium inter Livium (Polybium) et Appianum locum obtinere; cui sententiae prorsus accedo. Ipsae pacis leges non ex Juba ortae videntur (cf. Nissen p. 18) quamquam propter narrationis brevitatem certi quidquam vix de iis evinci potest. Ex quo auctore fama orta sit, Carthaginienses primum ad tolerandam obsidionem se parasse, nescio; nam nullus rerum scriptor eam habet. — Res Romae actas Livium XXX, 42 sqq. secutus Dio tradidisse videtur. Jubam autem haec verba indicant: *τῷ Μασσινίσσᾳ δὲ οἱ λοιποὶ (τῶν ἐλεφάντων) ἐδωρήθησαν.* — Itaque hic quoque locus e Livio et Juba contaminatus videtur. —

Sententiae controversae.

I.

Appiani Iber. 1—37. Jubam fuisse auctorem pro certo habeo.

II.

Liv. XXVI, 47, 7. codicum lectionem »facti« in »infecti« mutandam esse censeo.

III.

Friedersdorff (Livius et Polybius, Scipionis rerum scriptores Diss. Gott. 1869) recte demonstravit, communem fuisse Polybii et Livii auctorem, sed de natura ac indole fontis falsa conjecit.

IV.

Pugnam Zamensem a. d. XIV. Kal. Nov. anni 202 a. Chr. factam esse pro certo habeo.

V.

Liv. XXX, 36, 8. codicum lectio »Saturnalibus primis« injuria a viris doctis in suspicionem vocata est.

VI.

Thuc. 1, 21. verbis — *οὔτε ὡς λογογράφοι ξυνέθεσαν ἐπὶ τὸ προσαγωγότερον τῇ ἀκροάσει ἢ ἀληθέστερον ὄντα ἀνεξέλεγκτα καὶ τὰ πολλὰ ὑπὸ χρόνου αὐτῶν ἀπίστως ἐπὶ τὸ μυθῶδες ἐκνενικηκότα* tum alios scriptores, quum Herodotum significare contendo.

VII.

Thuc. 1, 21. verbo *λογογράφοι* eos significat, qui pedestri sermone utuntur.

VIII.

Ansberti Historiam de expeditione Friderici imperatoris (ed. Tauschinski et Pangerl Font. rer. Austr. V, p. 1 sqq.) et Anonymi »Historiam peregrinorum« (Canisius Thesaurus monumentorum sive lectiones antiquae ed. Basnage III[b] 497 sqq.) contra Büdingerum (Zeitschrf. f. oestr. Gymn. X, 1859, p. 373) et Riezlerum (Forschungen z. deut. Gesch. X, p. 99) ex communi fonte ortas esse contendo.

IX.

Sicut proximo saeculo artes litteraeque Graecorum maxima florebant auctoritate et ad provehendas litteras Germanicas plurimum valebant, ita nostris temporibus studia popularium in re publica Romana ejusque historia cognoscenda suo jure maxime versantur.